

et executione baiulacionum et cabellarum ipsarum personas alias
ultra numeros supradictos; si vero secus fecerint, de personis et rebus
pene alte et basse iuxta nostrum arbitrium subiacent. [Et quia
nostra curia intellexit, quod ^amagistris iuratis terrarum demanii
nostri fideles nostri ipsarum parcium graviter sunt oppressi et
gravamina pluria et intollerabilia inferuntur eisdem, ad huius-
modi gravamina removenda magistris iuratos volumus ordinare
in terris eisdem; et ecce iudiciarii nostris parcium earundem da-
mus per nostras litteras in mandatis, ut eisdem terris magistris
iuratos non debeant ordinare ut mandata omnia et servicia cu-
rie, que olim magistris iuratis consueverunt committere, baiulis
predictarum terrarum et locarum in antea committere debeant,
per ipsos baiulos una cum ipsarum baiulacionum officio exe-
quenda. [Item volumus et mandamus, quod, si in partibus
iurisdictionis tue aliqui comites vel barones infra tempus officii
sui decesserint, statim ipsorum nomina, et si filios vel filias ha-
buerint vel non, et nomina etiam terrarum castorum et ca-
selium ac bona stabilia, que tenuerunt seu habuerunt, et in qui-
bus locis, cum valore annuo eorumdem camere et magistris ratio-
nabilibus supradictis debeas intimare. [Et super quia ad requisicio-
nem nostram uncias auri millequingentas nobis de tuo proprio
mutuasti nostro camere assignandas, iuxta quod in quatuordecim
ipsius camere continetur, videlicet ultimo augusti proximo
preteriti uncias auri ^Dquingentas, quintodecimo presentis sep-
tembris alias uncias ^Dquingentas, et per totum eundem mensem
septembris reliquas uncias ^Dquingentas, volumus, ut totam ean-
dem pecunie quantitatem de pecunia officii predictae camere
presentis anni ^{xv.}quintodecimo indictionis, que erit per manus

[27]

[28]

[29]